



7. 189. Georg 1680
Lehmani De indulgentiarum papalium
DK. 188^a vanitate.
QK. 188^a



35 Ad
ORATIONEM
De
INDULGENTIIS PAPALIBUS,
Quæ ante CLXIII. annos
B. LUTHERO ansam Reformationis
dederunt,
In ipso REFORMATIONIS FESTO,
crastino die,
post finita sacra matutina, in æde Paulinâ,
volente D E O,
habendam,
Ulriusq; Reipubl. Proceres
ACADEMIÆQUE CIVES
eâ, qvâ par est, humanitate
invitat
LIPSIENSIS ACADEMIÆ
RECTOR.





Vando de Indulgentiis papalibus, ad recolen-
dam memoriam Reformationis, hoc calam-
itosissimo pestis tempore in Ecclesiis nostris
docetur, recordamur non immerito partim di-
vinæ Indulgencie ac Bonitatis, cuius beneficio
exoptatissimam felicitate hactenus florimus, partim nostræ in-
firmitatis nostrorumque criminum, qvibus & genio plus, qvam
par fuit, indulsimus, & eos, qvos vel natura, vel voluntas divi-
na nobis conciliavit, præpostero penitus amore prosecuti su-
mus. Nam si, ut eqvidem decet, malorum, qvibus premimur,
pœnarumque, qvas luimus, originem ac causam scrutamur,
qvid, qvæso, ex peccatis delictisque nostris prius se offert, qvam
illa soluta vivendi ratio, qvâ cuilibet fere, qvod libuit, licuit,
qvâ omnis generis vitia impunita abière, qvâ denique cor-
pori studentes, ejusque curis abrepti, Supremi Numinis indul-
gentiam ac μακεροθυμίαν (Rom. II, 4. II. Pet. III, 15.) pessime ha-
buimus? Hæc illa est mollis ac delicata omnes hierarchicos
status pervadens ac corrumpens permissio, cui nomen *indul-
gentie* propriè ac primariò competit. Hanc olim in Cha-
rillo, Senatore Spartano, Collega Archidamidas reprehendit,
cùm ad impudentes laudum præcones conversus diceret:
*qui verò probus sit Charillus, qui ne perversis quidem est infe-
stus?* Eandem culpam Nerva, princeps cætera optimus, incur-
risse à Plutarcho memoratur, ita quidem, ut vir consularis ad
populum publicè de ipso diceret, *malum esse sub Nervâ vivere,*
qvia

qvia nihil peius sit eo, qui omnia permitteret, nihil prohiberet.
Mitto aliorum exempla, qui, cum magistratus personam gerent, manifestorum criminum reos saepè absolverunt? Mitto
& bellicos duces, quorum in castigandis militibus mollities
quam exitiosa fuerit, historiæ testantur. Habet verò in Ec-
clesiastico quoque statu locum indulgentiæ crimen, quod fa-
cillimè incurruunt Prophetæ & Doctores, cum ad populi gre-
gisque, cui præficiuntur, enormia facinora obmutescunt. Hoc
quam sit capitale, quantoque studio fugiendum sacræ literæ
passim docent, graviter monentes, ne quis Doctor tacendo
conniveat, & canes mutos ac elingues vocantes illos, (Ec.LVI.
v. II.) qui os obturari sibi patiantur. Jam & in Oeconomicâ
disciplinâ haud parum vitii liberior concessio, laxiorque li-
centia habet. Qvod, ut omittamus, quæ ex profanâ historiâ
peti confirmationis loco possunt, vel solo summi Israelitarum
Sacerdotis exemplo patet, qui, cum remissius filios petulantes
castigaret, pœnam sat gravem meruit, I.Sam.II, 27. seq. c.IV.
v.18. seq. Omnis ista indulgentia, quæ hactenus inter nos pa-
sim obtinuit, ad iram supremum Numen provocavit, ejusque
indulgentiam læsit, quam nobis peccatoribus spatium ac tem-
pus pœnitentiæ agendæ offerens, lento gradu ad vindictam
& ultionem processit. Hæc enim Longanimitatis Divinæ,
à quâ DEUS indulgens dicitur, ratio, hic mos est, ut aliquando
quidem peccatorem toleret, immo & saepenumero eidem bene-
faciat, tandem verò, si concessum gratiæ tempus dimitatur,
severæ ultioni cedat. (Ps.VII, 12. seq. Prov.I, 26.) Non necesse
est, ut DEUS, quantum potest, quovis tempore quemcunque
peccatorem puniat; gloriæ tamen divinæ vindicatio ac pecca-
ti pœna, cum justitiæ demonstratio sit, negligi penitus ac omit-
ti nequit. Alia autem indulgentia Divina, hoc tempore ma-
xime nobis necessaria, in sacris literis exhibetur, cui indul-
gentiæ istæ papales, quæ superiori seculo reformandi ansam

: (2

Beato



ecolen-
calami-
s nostris
rtim di-
eneficio
stræ in-
as, quam
as divi-
cuti su-
mimur,
ntamur,
t, quam
, licuit,
ve cor-
s indul-
ime ha-
rchicos
n indul-
in Cha-
ehendit,
diceret:
est infe-
s, incur-
ularis ad
vivere,
quia

Beato Luthero præbuerunt, similes dicuntur, sed reverà sunt
dissimillimæ. Primum ipsa ortum à Misericordiâ divinâ du-
xit, qvâ DEUS, miserias nostras ex peccatis contractas intu-
ens, motus est, ut totius generis humani, æternâ damnationis
pœnarumqve omnium rei, rationem habere decreverit (Jer.
III, 12. Ez. XXXV, 6.). Unde πὸ τροποφορεῖν de ipso usurpatur
Act. XIII, 18. Conf. Sap. XII, 18. Qvandoqvidem verò essenti-
alis ejus justitia, qvæ absolutam peccatorum condonatio-
nem, absqve ullâ compensatione, qvalem Sociniani fingunt,
& ferè fundamenti loco dogmatibus suis substernunt, non
admisit, de mediatore cogitandum fuit, qvi pro nobis lueret,
efficeretqve, ut indulgere, hoc est, veniam concedere, debita
remittere, obligationem relaxare divina Benignitas posset.
CHRISTUS igitur Servator noster pro nobis sese dando, mor-
tem ipsam omnesqve cruciatus subeundo, iram Patris placa-
vit, & ita unicus Indulgentiarum fons, veniæqve largitor fa-
ctus est. Promulgavit enim, postqvam iste Mediator se in-
terposuerat, plenissimas peccatorum indulgentias in verbo
suo DEUS, easqve abundantissimè promisit se collaturum
omnibus, qvi verâ fide, tanquam instrumento apprehensio-
nis, sine qvâ frustrâ omnis indulgentia offertur, fuerint instru-
cti. Hæc illa indulgentia, hæc illa libertas est, qvæ Es. LXI. 1.
captivis prædicatur, hæc illa gratia, quâ Angelus faciei
credentes redemisse Es. LXIII, 9. dicitur. Huic si papales in-
dulgentiæ responderent, siqve ejus essent annunciatio, non
equidem ullo paeto à nobis rejicerentur. Sed aliud longè
apparet, quando ad lydium veritatis lapidem has examinamus.
Nam quemadmodum infinito **CHRISTI** merito nostras sa-
tisfactiones, in consequendâ æternâ beatitudine, ad latus po-
nere non dubitant, ita biblicas salvificasque indulgentias,
quasi ipsæ incompletæ & parum sufficietes suit, per suas illas
à Pontifice Romano nummis impetrandas supplere & perfi-
cere

Ad. 13.



cere conantur. Ita enim Costerus Enchir. cap. II. aliquie recentiores Jesuitæ manifestè afferunt, pœnas temporales, quæ post peccatorum remissionem, nostramque cum DEO reconciliationem relinqvuntur, per opera satisfactoria compensandas esse; eorum verò operum relaxationem quandoq; ob rationabiles causas fieri, quæ sit Indulgentia illa Ecclesiastica. Sed brevis hæc sententia tot penè errores, quot verba, habet. Nam si quæramus, quasnam temporales pœnas hic Pontificii intelligent? plerisque statim aqua hæret, & anxi, quod se vertant, nesciunt. Infernales pœnas æternosque cruciatus potestate Papæ ipsi eximunt, & solo Christi sanguine expiari agnoscunt. Per indulgentias porrò peccati originalis pœnas, naturalium virium corruptionem, passiones mortalis corporis & hujus vitæ miserias remitti aut tolli non posse in solis mensâ pôsitum videtur. Quin imò Ecclesiasticæ quoque, vel Seculares pœnæ, à jure humano institutæ, locum habere nequeunt, quoniam ea temporalis pœna, de quâ hic sermo est, justitiæ DEI, ipsis Pontificiis factentibus, debetur. Explicat tamen Bellarminus, l. 2. de indulg. cap. 1. & cap. 13. quas pœnas per indulgentias tolli posse autumet, videlicet *eas*, quas homines in *foro secreto* & pœnitentiali cùm in hoc, tûm in futuro seculo debeant, hoc est quas partim ipsi ad luenda delicta vel sponte subeant, vel à prælato injunctas ferant; partim anima ipsorum post hanc vitam in purgatorio sustinere necesse habeat. At enimverò si quām vanæ sunt, de quibus Cardinalis loquitur, pœnæ, tām vanæ quoque sunt indulgentiæ, facili quidem negotio tota illa Pontificiorum doctrina rejicietur. Nam quod ad carnis mortificationes, vel proprio motu, vel jussu superiorum suscipiendas, attinet, quamvis illæ, quatenus huc diriguntur, ut precationi aliisque pietatis operibus vacare diligentius possis, improbandæ non sint, tamen prout

prout cum opinione satisfactionis cuiusdam DEO exhibendæ fiunt, suo merito, præeuntibus ipsis sacris literis, damnantur. Evidem priscæ Ecclesiæ annales habent, Canonicas quasdam Pœnitentias à Confessario injunctas peccatoribus enormi ac notorio facinore se maculantibus fuisse; verum istiusmodi operibus non DEO, infinitè læso, & infinitam eapropter compensationem exigenti, sed Ecclesiæ, in cuius scandalum crima publicè perpetrata cesserant, satisfieri credebatur, uti latius ex Sozomeno, Eusebio, aliisque, Chemnitius Exam. Conc. Trident. part. 4. pag. 65. seq. deducit. Purgatorium quod concernit, id, cum jamdiu ab Orthodoxis exustum sit, nihil præsidii papalibus indulgentiis præbere potest. Non nisi duos animarum, ubi à corporibus solutæ sunt, status, nec plura, quam duo, hominum genera scriptura novit. Apostolus, dum i. Thess. IV. 16. seq. piè defunctorum conditionem exponit, nullo verbo purgatori ignis meminit. Et, cum ex purgatorio redemtionem Papistæ sperent, Paulus 2. Cor. VI. 12. è contra omne salutis ac veniæ tempus mundanæ vitæ terminis circumscribit. Sed hæc aliæ uberioris discussa sunt; Ad Costerum revertimur, in cuius verbis porrò reprehendum est, *quod satisfactoria opera ab homine mortali, sive proculpâ, sive propœnâ, Supremo Numini præstari posse pronunciavit.* Impudens os, quod sic disertè Sacris literis & Spiritui S. contradicit! Quam manca enim sint & imperfecta opera, quæ à renatis etiam proficiscuntur, Esaias clarè proposuit, menstruato panno universam justitiam nostram comparans, LXIV. vers. 6. Et certè, si pro temporalibus pœnis ac castigationibus ullâ ex parte satisfieri à sanctis DEO posset, cur Daniel, liberationem ex captivitate Babylonica impetraturus, non opera sua, sed solam misericordiam divinam allegasset, dicens: *Non in justificationibus nostris,*

exhi-
da-
Ca-
pec-
s fu-
so, &
ccle-
esse-
ebio,
g. 65.
jam-
s in-
, ubi
ho-
hess.
ullo
orio
ontra
minis
Ad
den-
e pro
nun-
Spi-
fecta
pro-
ram
ibus
nctis
aby-
cor-
nibus
tris,

nostris, sed in miserationibus tuis multis, IX. 10? Insuper si quis mentis suæ compos infinitam DEI sanctitatem, quæ peccatis læditur, cum naturali nostrâ infirmitate, Deiq; in nos eminens Dominum cum nostra imperfectione conferat, omnis satisfactionis opinio statim dilabetur, & obversabitur menti Servatoris effatum: *Cum feceritis omnia, qvæ præcepta sunt vobis, dicite: δελοι ἀχρεῖοι ἐσμὲν, servi inutiles sumus*, Luc. XVII, v. 10. Dato autem, non concesso, operibus nostris satisfieri vel pro peccatis vel pro pœnis saltem temporalibus justitiæ divinæ posse, nondum tamen, qvod hinc pro Papalibus indulgentiis Costerus concludit, satis firmum est? Neq; enim ejus relaxationis, qvâ canonicae satisfactiones veteris Ecclesiæ sèpius imminuebantur, eadem ratio fuit, quæ nunc pontificiarū indulgentiarū est, qvamvis id Romanæ Curiæ Patroni, ad faciendum Lectoribus sicutum, unanimiter ferè asserant. Legimus, qvod in primævâ Ecclesiâ peccatores enoimenter & cum scandalo piorum contra conscientiam delinquentes publicam multam subire, resipiscientiam suam Ecclesiæ approbare ipsique satisfacere debuerint. Qvo nomine qvinque pœnitentiæ gradibus tempus restitutionis excommunicatorum Gregorius Neocæsariensis divisisse perhibetur, qvorum primus fuerit *περιλαυτος*; alter *ακρόποτος*; tertius *πολύποτος*; tum quartus *σύσποτος*; denique quintus *μέτεξις*. Sed istius ordinariæ lapsorum viæ ad Ecclesiam factum est nonnunquam compendium, cùm infallibilia seriæ pœnitentiæ testimonia se prodidere, idque est Indulgentia Ecclesiastica. Hæc verò à Papalibus indulgentiis multum discrepat. Nam sicuti Canonicae Satisfactiones, ut suprà monuimus, non DEO, sed Ecclesiæ, eam imprimis ob causam, ne istis temporibus, in quæ acerbissimæ Christianorum præsecutiones incidebant, nimius foret deficientium numerus, præstabuntur;

ita

15 4435 BK

ita relaxatio quoque neutquam talis erat, qvalem hodiè Romani Cleri Caput exercet. Dispensat enim Papa ac remittit satisfactiones non hominibus, sed DEO, ut ex Cōstero audivimus, debitas, & quidem tunc demum, cūm sacerdenarius in arcâ tinnit. Sed ista ulterius persequetur solennitatem festi Reformationis pro more celebraturus *Clarissimus Dn. M. GEORGIIUS HENRICIUS LEHMANNIUS SS. Theo!og. Studiosus*, quando indulgentiarum papalium incunabula, juventutem, & senectam deponitam brevi oratione die craftinâ, volente DEO, post finita sacra matutina in templo Academico proponet. Cui actui, ut vestrâ præsentia, Utriusque Reipubl. Proceres Amplissimi, lucem ac splendorem fœnerari, & Divinæ Bonitati debitas gratias nobiscum agere dignemini, eâ, qvâ par est, humanitate rogamus, studia nostra & officia quovis tempore promptè exhibenda vicissim offerentes. PP. nudius tertius Calendas Novembris, A. d^o loc LXXX.

Typis CHRISTOPHORI GUNTHERI.

hodiè
Papa ac
ex Co
cùm sa
equetur
oraturus
LEH
algenti
depon
ost fini
Cui
res Am
Bonitati
par est,
tempore
tertius



f

Von





exoptatissimā firmitatis nostrae par fuit, indul- na nobis concimus. Nam si, pœnarumque, qvid, quæso, ex illa soluta viveremus, qvâ omnis gen- pori studentes, gentiam ac mu- buimus? Hæc status pervade- gentiæ propriè rillo, Senatore cùm ad impu- qui verò probi- stus? Eandem risse à Plutarch populum pub-

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue

Cyan

Yellow

Red

White

3/Color

Black

Centimetres
Inches

d recolen-
oc calami-
esiis nostris
partim di-
s beneficio
nostræ in-
plus, qvâm
untas divi-
osecuti su-
premimur,
scrutamur,
ffert, qvam
uit, licuit,
niqve cor-
inis indul-
essime ha-
erarchicos
nen indul-
n in Cha-
prehendit,
is diceret:
m est infe-
nus, incur-
nsularis ad
rvâ vivere,
qvia